

ΨΥΧΟΛΟΓΙΑ:  
siue  
PHILOSOPHICA, DE

ANIMO ΣΥΖΗΤΗΣΙΣ, EX LIBRIS  
tribus Aristotelis πρὸς ψυχὰς, excerpta, inq̃;  
Argentoratensium Academia  
ad disputandum,

sub  
PRÆSIDIO  
IO ANNIS LVDOVICI HAVVEN-  
reuteri Doct. Medici & Philosophi.

Proposita à  
GALLO RHORMANNO TECCENSI  
Transyluano.

*Disputabit σὺν ἡμῶν 28. Nouemb.*



ARGENTORATI  
Excudebat Antonius Bertramus.  
M. D. XCI.





CLARISSIMO DOCTISSI-  
MO QVE VIRO:

D. LEONARDO CROE-  
CHERO: ILLVSTRIS SCHOLAE BI-  
strenciensis in patria Rectori non minus di-  
gnissimo quàm diligentissimo,

G. RHORMANNVS TRANSYLVANVS  
institutione  
DISCIPVLVS  
amore  
NECESSARIVS

In gratitudinis obseruantiaq; monumentum  
atque pignus sempiternum,

HASCE A SE IN CELEBRI ARGENTI-  
nensium Gymnasio propositas & σωθῶ θεῶν disputatas de  
Animo Theses ex animo meritoq;  
D. D. D.

τῆς ψυχῆς εἶναι πικρῆτον καὶ ἄσχητον. Αἰδυναλῶταρον  
ἢ ἐπὶ τῷ νῷ. Εὐλογώτατον γὰρ εἶναι τὸ τοῦ προσγενησατον καὶ  
κύριον κατὰ φύσιν. Lib. I. de animo cap. 5. T. 82.



PHILOSOPHICA DE ANIMO

*συγκρίσεις ex tribus de Animo Aristotelis libris excerpta.*

THESIS I.



VM omnis scientia atq; cognitio bona sit atq; honorifica; aliaq; alia magis hanc laudem mereatur, tum quia certior, tum quia de rebus est nobiliorib. ac maiori admiratione dignis: vtraque de causa Animi præclarissima cognitio est.

2. Quid enim notius? quid certius? quid exploratius? quàm Animum esse aliquid: licet quid sit incognitum penè incertum atq; inexploratum habeamus.

3. Quàm verò huius tractationis subiectum reliquorū librorum ad naturæ qui speculatores pertinent, materiam longo post se intervallo relinquat, nemini esse dubium potest.

4. Omnes essentiaæ naturales caducæ sunt: mortales sunt: sola ea animi pars, quam *νοῦς* Græci vocant (de reliquis enim nunc Facultatibus taceo) firma æternaq; est & habetur.

5. Omnia corpora suis certis sedibus errant: Animus modo altum conscendere, modo infima petere potest: & omnia vno momento permeare.

6. Omnia cum bestiis homo penè communia habet: sola mens ipsum discernit, non solum ab animalibus: sed & animatis cunctis.

7. Sed & propter hanc Dei filius Christus, nasci, capi, pati, mori, non dubitavit.

8. Pulcherrima res certè & mirabilis Animus: vt qui ad



supernæ mentis similitudinem creatus, terrenoq; inclusus domicilio, rerum cœlestium ordinem contemplans, imitarur eum vitæ modo atq; constantia.

9. Quam verò non iniuriâ illud etiam hic vetus iterare possim *Δύσκολα τὰ καλὰ*, pluribus ostendere vtile fortassis erat: necessarium non est.

10. Argumento illud esse potest, quod non habeamus superiorem mentem qua hanc cognoscamus atque contemplemur. Viues.

11. Accedit quod quo pacto Animi inuestiganda definitio sit, cognitu est difficillimum.

12. Ad hunc certè scopulum veteres illi Philosophi nauim fregerunt.

13. Nam licet vt aliarum rerum obscurarum atq; latentium, ita Animi quoq; scientia ab accidentibus atq; operationibus petenda videatur: tamen quam in multa sint errorum deuia prolapsi, nouimus.

14. Tria enim sunt maximè nota, ex quibus Animi substantiam inuestigare illi conati sunt.

15. Quòd ab ipso corpus Animatum moueretur: Quòd per ipsum sentiret: Quòd totum denique animalium corpus subiret, idq; informando permearet.

16. Per hæc tanquam actiones atque accidentia Animi, ad eiusdem substantiam cognoscendam duci debebant.

17. Sed qui d hinc nisi errores? nisi peccata? nisi culpa?

18. Ad motum enim quidam respicientes cum mouere nihil existimarent nisi id ipsum prius moueretur: Animum id quod seipsum moueret, esse putarunt.

19. Alij sensum atque cognitionem perpendebant, & cum simile non nisi à simili cognosci arbitrarentur, Animum ex iisdem quibus reliqua conflatum principiis & elementis persuasum habebant.



20. Denique qui considerabant Animum totum corpus permeare, illum corpus aliquod esse tenuissimum dicebant.

21. Quod secus totum corpus permeare posset minimè.

22. Ad tot capita veterum de Animo reduci opiniones atque sententiæ possunt: quæ tamen omnes veritati vim facere videntur.

23. Neque enim fieri potest, ut Animus aliquid sit quod per se moueatur, aliàs in loco quoque per se erit.

24. Omnis enim motus in loco est: in quo Animus qui forma est rei, esse minimè potest.

25. Neque corpus aliquod siue tenue, siue crassum fingatur, dici potest: nisi duo corpora eodem loco arceri concedendum putemus.

26. Postremò quod animus sentit, & intelligit, nos non impellere debet, ut credamus Animum ex iisdem principiis constare, ex quibus res quas sensu intelligentiaque percipit, compositæ sunt.

27. Hac enim ratione principia saltem & elementa rerum non ipsas substantias cognosceret, quippe quarum similitudo nulla in Animo existat.

28. Nisi fortè quispiam lapides quos sensu intelligentiaque cognoscit Animus, esse in Animo dicere ausit.

29. Quod quam sit absurdum nihil attinet pluribus docere eos, qui communinon sunt sensu destituti.

30. Nobis igitur, cum tot tantiq; viri à veritatis hic via exorbitarint, alia incunda ratio erit, qua ad essentiam Animi perspicendam quasi manu ducamur.

31. Nec oleum operamque hic ludemus.

32. Siquidem huius doctrinæ vsus, cum ad omnem veritatis perceptionem, tum ad naturæ se cognitionem diffundit.



33. Est enim ἀρχὴ τῶν ζώων principium omnium viuentium Animus.

34. Primum igitur essentiam Animi communi aliqua definitione inuestigabimus: post quæ ei conueniunt inspicimus.

35. Si tamen prius hæc quæ ei conueniunt distinxerimus.

36. Sunt enim in duplici illa differentia: quædam propriè humano conueniunt animo: quædam communia sunt cum reliquis animalibus.

37. Proprium est intelligere: commune sentire, vegetari, loco moueri, &c.

### DE DEFINITIONE ANIMI.

38. Ad naturam Animi peruestigandam definitione generali nobis esse opus arbitramur.

39. Talis definitio sita in diuisionibus quibusdam est: vt Præceptor ipse lib. 2. Post. cap. 14. text. 18. & 19. testis est.

40. Desideramus igitur genericam Animi definitionem has ob oculos positas diuisiones habeamus.

41. Omnis res aut est substantia aut non est, sed sub alio aliquo genere comprehenditur, quorum nouem sunt & communi nomine accidentia vocantur.

42. Omnis substantia rursus vel est materia, vel forma, vel compositum quid ex his.

43. Materia rationem facultatis, forma actus habet.

44. Substantia quæ forma vocatur & actus rationem habet, duplex est.

45. Alius enim est actus primus, qui essentia & forma: alius actus secundus, qui operatio à forma proueniens est.

46. Hisce



46. Hisce ex diuisionibus vt communem Animi exstruamus definitionem, mutuandum aliquid erit.

47. Ex prima itaq; Animum substantiam: ex secunda formam: ex tertia actum primum esse dicimus.

48. Quibus præmissis hæc nobis Animi definitio surgit: Animus est actus primus, corporis naturalis potestate vitam habentis.

49. Corpus naturale potestate vitam habens Græcis *ζωον* dicitur, quod instrumenta & varias partes habet ad diuersas exercendas operationes.

50. Potest igitur Animi definitio eodem sensu hæc esse: Quod Animus sit actus primus corporis naturalis, quod instrumenta habet ad varias operationes exercendas.

51. Sed potest etiam quid sit Animus intelligi si substantia viuentis dicatur, secundum rationem.

52. Id est secundum formam quæ quidditas est corporis talis: id est forma corporis Phisici organici facultate vitam habentis.

53. Est igitur Animus forma & natura corporis viuentis.

54. Exemplis res manifestior euadere potest.

55. Quemadmodum securis forma non ferrum est, sed esse securis & figura, qua separata non est securis, nisi *δμονύμως*: ita & Animo sublato corpus non viuit quoniam Animus fuit esse corporis Animati atque forma.

56. Sic etiam oculus si esset animal eius Animus non esset oculus, sed visus qui est substantia & forma oculi & oculus materia visus, quo deficiente oculus non est oculus, nisi æquiuocè.

57. Quod iam de parte viuentis dictum est ad totum est vitæ compos corpus referendum.

Quam



38. Quam enim rationem pars ad partem habet & quisque sensus ad suum instrumentum, eandem habet totus sensus ad totum corpus sensus particeps.

39. Cumq; pars sentientis Animi forma sit qua pars sentientis corporis definitur, etiã totus Animus sentiens forma erit, qua totum corpus sensu præditum definitur.

60. Atq; hoc quod de sentiente Animi facultate dictum est, de omnibus reliquis est facultatibus accipiendum.

61. Habemus *ὅς τὸ πᾶν* definitum Animum: sed cum ea obscurior videri possit aliam adhuc definitionem adferemus.

62. Sic enim solent quæ nobis obscura sunt & natura nota, per nobis notiora illustrari, vt quæ natura tantum nota sunt, nobis etiam fiant nota.

63. Quod vt fiat non solum talis adferenda definitio est, quæ formam Animi indicet: sed etiam opus est talis vt indagetur, quæ ea quorum Animus causa est, contineat.

64. Ad quam vt perueniamus, viam nobis per distinctionem animatarum rerum & inanimatarum munemus.

65. Per Animatum enim tanquam notius ad Animum velut ignotius penetrari potest.

66. Animatum igitur & inanimatum actu viuendi distinguui maximè solent.

67. Vita pluribus modis contingere rebus dicitur.

68. Vel enim viuimus quia mente præditi: vel quia sentimus: vel quia loco mouemur: vel quia uutrimur: vel denique quia hæc omnia simul habemus.

69. Animus igitur ex his secundum causam est principium & causa alendi, sentiendi, ratiocinandi atq; motus.

70. Cumq; quatuor sint causarum genera, secundum tria Animus tantum causa dici meretur: secundum Efficientem, Formam, Finem.



71. Secundum verò materiam hoc nomine appellari non potest.

72. Illa autem effecta (vt ita loquar) Animi partim non sunt subiecto in vno separata corpore, licet ratione atq; de finitione differant: partim difficilis est responsio.

73. In Mente enim vique; contemplandi hoc ita manifestum non est: cum animi genus aliud esse videatur, idque vnum separari possit velut sempiternum à caduco.

74. De reliquis verò est dubium nullum.

75. Sic enim in oculo vnus idemque; est Animus qui videt, qui alit, qui mouet: licet facultates sint ratione differentes.

76. Sed & vnaquæque; harum Animi facultatum, non solum pars est atq; species animi: verum animus etiam.

77. Interdum tamen in rebus Animatis omnes hæ potentia: interdum quædam insunt: interdum vna tantum pro discrimine animalium rerumque; animatarum.

78. Sunt enim hæ in quadruplici differentia.

79. Quædam tantum nutriuntur, quædam nutriuntur & sentiunt & loco mouentur: quædam & his omnibus & intelligentia sunt prædita.

80. In ijs igitur in quibus vna tantum inest potentia vt vegetatiua in plantis, ibi tale principium Animus est: cum verò plura vt in homine insunt, tum non Animi sed potentia: vocantur.

81. Concludimus igitur Animum esse quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.

82. Id autem quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus neque; materia neque; compositum aliquid est.

83. Recipitur enim Animus inanimato: nec corpus sed aliquid corporis est, à quo corpus suum nomen habet.



84. Rectè igitur illi senserunt qui Animum non corpus nec tamen absq; corpore esse dixerunt.

85. Malè illi qui Animum cuius corpori adiunxerunt nec declararunt quod & quale corpus esset quod Animū haberet.

86. Non enim quoduis corpus quemuis Animum recipere potest, sed conuenienter & secundum rationē quicque actus in sua certa est materia, quæ potestate illius actus est prædita.

### HACTENVS DE DEFINITIONE ANIMI

Sequitur de diuisione vt agatur.

87. Facultates autem Animi sunt, (vt hactenus sæpè vidimus) quatuor: vis nutriendi: sentiendi: mouendi loco: & intelligendi.

88. In quibus hæc ratio seruatur, vt si superiores facultates in sint, reliquæ etiam inferiores in sint, non contra.

89. In plantis enim sola nutriens inesse facultas cernitur, in animantibus & sentiens & nutriens.

90. Sensus tamen diuersis modis inest.

91. In quibusdam enim animantibus solus Tactus inest, vt sunt ea quæ Græci *ζώοντα*, id est, plantanimantes vocare solent, in quibusdam omnes in sunt sensus.

92. In quibusdam etiam motus inesse: in aliis etiam facultas ratiocinans & Mens reperiri solet.

### NVNC DE NVTRIENTE FACVL-

tate agendum.

93. De Nutriente facultate primo agendum, tùm quia omnibus animantibus inest, tùm quia superior reliquis, absque quibus esse potest.

94. Est



94. Est autem vis Animi, quæ alimento quod facultate est corpus animatum, conseruare potest corpus, si conuertat nutrimentum in corpus actu Animatum.

95. Huius officia sunt, vt primò alat corpus animatum: deinde vt ipsum augeat: terriò generet simile: id quod præstantissimum in hac facultate est.

96. Cùm enim omnes res id quod optimum est consequi cupiant: optimum autem sit semper esse; id quod generatio efficit: hanc esse nobilissimam partem manifestum est.

97. Obiectum est nutrimentum, quod est corpus facultate animatum, quod tamē actu animatum fieri potest.

98. Hoc & alit & auget, quæ duæ operationes subiecto eadem sunt, ratione & definitione differunt.

99. Nutritio est conuersio & mutatio eius, quod facultate est corpus animatum, in corpus actu animatum.

100. Fit autem nutritio per alimentum, quod partim contrarium est, partim simile.

101. Contrarium est dum alimentum concoctione fieri potest: simile autem dum concoctum est & corpori associatum.

102. Tria requiruntur in nutritione.

103. Primo quod nutritur: secundum, quod nutrit: tertium aliquid quo nutriatur.

104. Finis Animi nutrientis est *γεννητικὴ δυνάμις* facultas generans.

105. Quæ est Animi nutrientis vis, quæ simile procreat ei, quod nutritur, vt species conseruetur.

106. Ad quam duo requiri solent: Alteratio: nisi enim semen alteretur nil generatur: Conformatio quæ *πλαστικὴ δυνάμις* à Medicis vocatur.

107. Instrumentum nutrientis Animi duplex est: aliud enim tantum mouetur, non mouet: aliud non mouetur saltem, sed mouet etiam.



108. Vt exempli causa in homine: Animus hic nutrit & auget, & simile generat, primum nutrimento quod tantum mouetur. Deinde calore natiuo qui ab Animo excitatur & cibum concoquit atq; in nutrimentum conuertit.

109. Si copiosior est cibus auget, si ita concoctus, vt purissimum relinquat excrementum procreat simile.

### DE NVTRIENTE ANIMO EGIMVS:

nunc de Sentiente.

110. Sentiens Animus est vis Animi qua facultate sensilia fiunt actu sensilia: siue est facultas Animi, quæ cognoscit & percipit quæ extra ipsum sunt, externo corporis instrumento.

111. Differt hæc à nutritiua, quod hæc in sua obiecta agēs: nihil per se ab illis patitur: sentiens autem ab illis patitur, vt visus non agit in colorem: sed hic in illum.

112. Obiectum sentientis Animi est sensile.

113. Sensile duplex est: Per se & per accidens.

114. Sensile per se, rursus in duplici est differentia: vocatur enim aliud sensile proprium, aliud commune.

115. Sensile proprium dicitur, quod à nullo alio percipitur sensu: quam cuius est obiectum, vt visus sensile proprium est color.

116. Vnde patet quinque propria esse sensilia; colorem sonum, odorem, saporem, & patibiles qualitates.

117. Commune sensile dicitur quod non vno sed pluribus imò omnibus sensibus percipitur.

118. Cuius generis quinque sunt & habentur: motus, quies, numerus, figura, magnitudo.

119. Per accidēs sensile est à quo sensus nihil patitur quatenus est tale: sed sensum tantū immutat, quia cum sensili per se copulatur.

120. Vt



120. Ut si quem alba veste videam, eumq; Diaris filium esse dicam: accidit enim huic albo quod visu percipitur ut Diaris sit filius.

121. Requiruntur autem ad sensum ista quatuor.

122. Primum ut sensus actu sit sensus: secundum ut ὁ ἑαυτοῦ sit integrum: tertium ut intermedium inter sensibile & instrumentum sit benè affectum: quartum denique ut obiectum siue ὁ ἀσθενὴς adsit.

123. Sensus alij sunt interni alij externi.

124. Sensus externi quinque sunt: ὁρασις visus: ἀκοή auditus: ὁσφρασις olfactus: γεύσις gustus: ἅψη tactus.

### NUNC DE SINGVLIS: AC PRIMVM de sensu Visus agendum.

125. Visus est sensus qui facultate aspectabile efficit actu aspectabile.

126. Siue: Visus est sensus, quo id quod videri potest percipimus.

127. Instrumento vitur oculo: eaque præcipuè parte quam Præceptor κόρυν Latini pupillam vocant.

128. Quæ nihil aliud est quam humor ille qui à Medicorum filiis crySTALLINUS, quia illustrissimo crySTALLO similis, cognominatur.

129. Obiectum visus præcipuum Color est.

130. Est autem Color mouens actu perspicuum quatenus est perspicuum.

131. Siue: color est extremitas pellucidi in corpore definito.

132. Tria enim requiruntur ut color appareat: extremitas in corpore, primum: secundum, pellucidum: corpus definitum, tertium.



133. Colorum genera septem sunt.

134. Duo extrema, albedo quæ similis habitui: nigredo, quæ priuationi est affinis: quinque intermedia, flauus, puniceus, purpureus, viridis & cæruleus.

135. Ex quibus, si vel ex aduerso ponantur vel misceantur, infiniti ferè colores generantur: qui ad has septem species possunt reduci omnes.

136. Medium visus Perspicuum est.

137. Est autem Perspicuum corpus non suo, sed alieno lumine sensum oculorum mouens, & *συνάμα* est lumen: *ὃ φῶς* autem & lumen eius actus est.

138. Talia corpora alia simplicia vt corpus cœleste, item aer & aqua: alia composita sunt atque solida, vt vitrum, crystallus &c.

139. Quæ omnia perspicua dicuntur à lumine, quòd illustrari queant.

140. Lumen est actus perspicui, quatenus est perspicui.

141. Cuius oppositum sunt tenebræ.

142. Nec tamen hæc vt contradictoria, sed vt habitus priuationis opponuntur.

#### HAEC DE VISU: NUNC DE AUDITU SENSU.

143. Auditus est sensus qui ex re quæ facultate audiri potest, efficit rem quæ actu audiatur.

144. Siue: Auditus est sensus qui sonos percipit per aerem & aquam.

145. Cuius obiectum est sonus.

146. Sonus est qualitas ex collisione duorum corporum solidorum in aere excitata.

147. Estque



147. Estq; duplex sonus: alius potestate alius actu: id est, sonora quædam sunt, quæ vel actu habent sonum vel potestate.

148. Quatuor autem ad sonum requiri efficiendum solent.

149. Primum duo corpora, quæ inter se aliquem ordinem habent.

150. Percussio enim & ictus, ex quibus sonus fit non potest esse nisi inter duo: quorum alterum verberat, alterum verberatur.

151. Deinde medium: quod requiritur vt sonus actu effici queat.

152. Nam motus localis, qui in percussione conspicitur absque medio fieri certo nullo pacto potest.

153. Tertium; vt corpora vel sint dura, vel sint læuia, vel sint concaua.

154. Dura, quia hæc sibi inuicem resistunt & interceptum aerem verberant, id quod mollia nequeunt.

155. Læuia, quia in his aer interceptus & percussus totus simul verberatur, sonumq; efficit.

156. Concaua, aer enim interceptus propter concauitatem & percussus egredi non potest, & corporis partes multifariam percutit & sonum efficit diuturnum.

157. Quantum vt ad soni effectiorem corpora celeriter & vehementer pulsantur.

158. Si enim corpora paulatim pulsantur aer dilabatur, nullusq; fit sonus: quoniam resistere nequit.

159. Accidit sono, vt si magnâ vi ad instrumentum Auditus perueniat, id corrumpat.

160. Si verò remotior sit paulatimq; in orbem conuertatur adq; aurem deferatur, percipiatur.

161. Qui sonus si geminetur, Echo <sup>ἠχώ</sup> nuncupatur.



162. Est itaq; Echo geminatio primi soni.
163. Qui fit, si sonus in aerem diffusus in solidum ali-  
quod impingat corpus, vnde reuertitur, inq; contrariam  
fertur parrem: quod si sæpe fiat idem sonus sæpe auditur.
164. Quod in concauis & concameratis locis item in  
vallibus & ad aquas fieri solet.
165. Sonus alius est vel grauis vel acutus.
166. Qui vterque tam Animatis quam inanimatis esse  
communis solet.
167. Animatorum sonus vox dicitur.
168. Estq; Vox sonus in ore animalis formatus certis in-  
strumentis, atq; prolatus.
169. Et est duplex: articulata, quæ aliquid certi in arti-  
culata, quæ nihil certi designat.
170. Medium auditus est tam in aere quàm in aqua.
171. Animantes enim tam in aere quam in aqua audire  
nouimus.
172. Et quemadmodum Visus medium communi no-  
mine *αἰθήρ* perspicuum nominatur: sic Auditus mediū  
*αἰθήρ*, quasi resonans dici potest.
173. Nec tantum externus aer, sed etiam auribus innatus  
cum exteriore continuus: nec tantum simpliciter aqua &  
aer sed aliquo modo affecta.
174. Instrumentum Auditus sunt aures.
175. Quæ tam apprimè à natura fabricatæ sunt vt & so-  
num recipere, & continere queant.
176. Præcipuè tamen interior aurium pars Auditus in-  
strumentum est.

## DE AUDITU HAC TENVS: NVNC de Odoratu.

177. Sensum Odoratus homines infirmum in perci-  
picendo



piendo habent: quædam animantes præstantissimum: quædam nullum planè possident.

178. Vnde difficultas nonnulla de hoc sensu nascitur.

179. Quæ tamen si *αἰσθητικὴ* Olfactus cum Gustu consideremus, tolli aliquomodo potest.

180. Cum enim Gustus tactus quidam sit linguæ circa sapes: Tactu autem homines maximè excellant, ad Odoratus cognitionem peruenire facillè possumus.

181. Cum namq; de Saporibus optimè nos iudicare posse se relinquitur, de Odoribus etiam aliquid statuere posse conceditur.

182. Est autem Odoratus sensus quo ea quæ facultate odora sunt actu percipiuntur. Siue est sensus quo odores per aerem & aquam percipimus.

183. Obiectum Odoratus Odor est.

184. Odor est natura seu affectio atque qualitas sapida siccitatis, in humido.

185. Species odorum propriæ duæ sunt: vna est gratus odor, altera est ingratus.

186. Res quæ grato odore præditæ sunt *εὐώδεις* appellari: quæ ingratum habent *δυσώδεις* nuncupari solent.

187. Reliquæ species cum sensu gustus communes sunt.

188. Medium odoratus est aer & aqua.

189. Non tamen aer & aqua secundum suam essentiam, sed à sicco sapido certo affecta modo.

190. Nec vno eodemq; modo aer & aqua: sed aer maximè.

191. Hoc medium Græci *σύνσμορος* quasi odore infectum vocare solent.

192. Instrumentum est superior narium pars: quæ angusta est, & in qua anteriores cerebri ventriculi coniunguntur.

C

Sic



SIC OLFACTVS HABET: VIDEAMVS  
de sensu gustus.

193. Gustus est sensus, quo sapores percipimus.

194. Obiectum huius sensus duplex est: generale & speciale.

195. Generale est gustabile: quod quia humidum est appellari potabile potest: quorum contraria impotabile ingustabile.

196. Speciale est sapor.

197. Est autem Sapor affectio quæ à siccitate in humore gignitur, & quadam mutatione efficit ut potestate gustus actu fieri gustus queat.

198. Differt à superiorum sensuum obiectis: quod gustus est tactus quidam, qui nullo externo vitur medio.

199. Nam & per medium externum non sentitur: & in humido percipitur: id quod gustabile est.

200. Internum igitur medium gustatus, & ipsi instrumento coniunctum esse necesse est.

201. Nam etsi nullus sapor absque humore existat: tamen hic medium gustatus non est, cum ille tactus quidam sit, qui tali caret medio.

202. Octo autem saporum sunt genera: duo summa, sapor videlicet dulcis & amarus.

203. Ad quos refertur pinguis qui sub dulci & salsus, qui sub amaro continetur.

204. Intermedia quatuor: sapor acer, austerus, acerbus, acidus.

205. Instrumentum huius sensus est lingua.

RESTAT



## RESTAT VLTIMVS SENSVS,

### Tactus.

206. Sensus Tactus in hominibus ratione præditis acutissimus est.

207. Et ex hoc de hominis ingenio vel subtili vel crasso judicari potest.

208. Acuti enim tactu sunt præditi acuto.

209. Tenuem enim cutim habent propter spirituum copiam, quæ ingenij subtilis causa est.

210. Stupidi propter cutis crassitudinem & spirituum inopiam crassum habere tactum solent.

211. Est autem Tactus sensus quo corporis quatenus corpus est differentias percipimus.

212. Seu: Tactus est sensus, quo qualitates tactiles tam primas quam secundas percipimus.

213. Tribus modis hic sensus à superioribus differt.

214. Primò. In cæteris sensibus instrumenta certis insunt corporis partibus: Tactus autem propter suum instrumentum per totum est corpus diffusus.

215. Deinde reliqui tres sensus medium habent externum: eoq; sublato, vel instrumento recto, nihil sentiunt: in tactu verò & gustu & medium est internum, & quo propius res accedunt ad instrumentum horum, eò perfectius sentiuntur.

216. Nec diuersum est medium tactus & gustus ab ipso instrumento: sed tantum ratione differt.

217. Vltimò, obiecta superiorum sensuum vna possunt repugnantia comprehendi: huius nequaquam.

218. Vt alia est humoris & siccitatis quàm caloris & frigoris: alia mollis & duri, quàm sit levis & asperi pugna.



219. At in reliquis diuersa ratio est: in visu est candor & nigror: in auditu sonus grauis & auditus: in gustu sapor dulcis & amarus.

120. Vnus tantum est sensus tactus numero & subiecto diffusus per totum corpus: ratione tamen atque definitione differt.

221. Obiectum duplex est: generale & speciale.

222. Generale quod est ἀπὸν tractabile, eiusq; priuatio ἀναπὸν intractabile: speciale, sunt qualitates primæ atq; secundæ.

223. Medium est internum & pars animalis, nullumq; externum & ab animali separatum habetur.

224. Licet per accidens & caro & aer & aqua sint media: quatenus cum obiecto videlicet coniuncta.

225. Instrumentum tactus sunt nerui.

226. Neruis enim nos sentire in iis partibus in quibus nulla caro est veluti dentibus &c. manifestum est.

227. Quidam (vt Galenus Medicorum facile princeps) cutim instrumentum tactus fecerunt.

228. Sed hac ratione nullus tactus esset nisi vbi cutis respiritur: id quod falsum & ab ratione alienum.

## HACTENVS DE EXTERIORIBVS: NVNC de interioribus sensibus.

229. Sensus interior vel concipiens est vel conseruans.

230. Concipiens duplex est pro duplici munere, quod tam in discernendo quàm plenius æstimando consistit: sensus videlicet communis & phantasia.

231. Sensus communis est locus ad quem omnia quæ exteriores sensus percipiunt afferuntur: vbi à sentiente animi parte iudicantur, non tantum quatenus contraria sunt, sed etiam quatenus diuersa.

232. Huius



232. Huius instrumentum est cerebrum, quod sua natura non sentit: omnium tamen sensuum sensationes percipit, quæ in ipso diiudicantur.

233. Φαντασία ἐστὶ κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως τῆς κατ' ἑνέργειαν γιγνομένης. Imaginatio est motus animi qui fit à sensu, cum suo munere fungitur.

234. Vel: Imaginatio est facultas animi, quæ species à sensibus perceptas etiam absentes perspicit, earumq; imagines retinet.

235. A sensu communi differt: quod hic ut reliqui sensus præsentis tantum rei sensibilis est, quæ remora ipsa desinit: phantasia autem absentium etiam sensilium est.

236. Differt à sensu: quod sensus in primo & proprio sensilium genere integro instrumento aberrat nunquam: phantasia in omnibus sensilium generibus aberrare potest.

237. Conueniunt sensus & phantasia: quod utrunq; verum & falsum habet iudicium.

238. Id quod per singula sensilium genera videre licet.

239. Phantasia tam hominibus quam brutis atque be-  
stis inest.

240. Discrimen in eo est, quod in brutis hæc summa est animi vis ex qua omnes agunt: in hominibus mens esse non imaginatio vis animi præstantissima solet.

241. Et excitatur Imaginatio à formis rerum sensilium quæ in animo remanserunt.

242. Conseruans sensus interior est Memoria & Recordatio, quæ cum imaginatione quodam modo coniuncta.

243. ἡ μνήμη ἐστὶ ἐξὶς φαντασίας ὡς ἀκίνητος ἡ φαντασία ἡ  
πρώτη αἰσθητική. Memoria est habitus visorum, quatenus imago sunt eius rei, cuius visa existunt in prima sentientis animi parte.

244. Vel: memoria est facultas animi sentientis, quæ res



rum imagines conseruat repetitque absentes.

245. Differt à Sensu communi & phantasia.

246. Sensus communis res perceptas statim diiudicat: est enim præsentium formarum.

247. Phantasia intuetur formas, tanquam picturas quasdam conseruatas, absque vlla temporis ratione.

248. Memoria denique species aspicit tanquam imagines absentium formarum & ab his ad ea cognoscenda mouetur, quæ vel sensu vel mente percepta sunt.

249. Obiectum memoriæ res nec præsentis, nec futuræ sunt: sed præteritæ, quas vel scientia cognouimus, vel contemplatione indagauimus, vel Sensu percepimus.

250. Locus Memorix in sentiente Animi parte est, non in intelligente.

251. Quod enim etiam meminimus eorum, quæ mente percepimus, id per accidens fit & per aliud.

252. Absque enim imaginatione nihil in hac vita intelligimus, adeo vt quæ primo Sensu percepimus postea intelleximus, horum meminisse queamus.

253. Recordatio est ratiocinatio quædam, qua ex prioribus & notis, ad posteriora & minus nota progredimur, eorumque noticiam inuestigamus.

254. Differunt quod Memoria in multis est animalibus: recordatio in solo homine.

255. Fit autem recordatio, vel ex necessitate, vel ex consuetudine.

256. Ex illa, quoniam Mens nunquam quiescit, sed semper species rerum inter se confert, adeo vt deficientibus præsentibus præteritis repetat species.

257. Ex hac, si rei alicuius meminisse volumus, & multas inter se comparamus, earumque colligimus memoriam.



## DE VEGETATIVO ATQVE SENSITIVO

hactenus: nunc de Intelligente Animo.

258. Tertia Animi potentia vocatur Intelligentia siue Mens: à Græcis λόγος καὶ νῦς.

Conueniunt Sensus & Intellectus.

259. Primum, quod vtrumque est ἀπαθὲς impatibile passionē ea quæ perimere potest.

260. Deinde, quod formas & species rerū recipere possunt, easq; non actu sed potestate continent.

261. Tertiò, sicut se Sensus ad sensilia habet: sic intellectus ad ea, quæ intellectiōe compræhenduntur.

262. Quemadmodum enim Sēsus est potestate id quod sentit & antequam sentit, non habet actu in se quod sentiat: ita & is qui intelligit, antequam intelligat, non habet actu, sed facultate ea quæ intelligit.

263. Differunt: Sensus enim in aliqua est corporis parte, eamq; informat & instrumento carere nequit: Mens nullam corporis informat partem, nulloq; corporeo indiget instrumento.

264. Ad hæc Sensus excellentia sensilia non sentit, sed iis corrumpitur: Mens tale nihil patitur, cum separata sit à corpore.

265. Obiectum Mentis τὰ νοητὰ sunt: quæ in duplici reperiuntur differentia.

266. Quædam τῶ ἀπλῶν rerum simplicium sunt, a quæ omni materia liberarum.

267. Vt sunt omnes eæ res, quarum essentia eadem est, cum rebus ipsis, vt Mentēs cœlestes, Animus humanus.

268. Quædam earum rerum, quæ cum materia coherant, vbi aliud est ipsa res, vt quod Sensibus percipitur aliud essentia rei, quæ Mente cognoscitur.



270. Hoc genus trifariam rursus diuiditur.

271. Quædam sunt ἐκ περὶ θεωρίας, quæ cōtemplatio Physici est, qui simul & materiam & essentiam rei considerat, nec in contemplando hæc separat.

272. Quædā ἐξ ἀφαιρέσεως per abstractionem, vt Mathematici res suas in materia semper existentes sine materia contemplantur.

273. Quædam deniq; ἀπλῶς ὄντα sunt: vt Metaphysicus res contemplatur, simplici mente, & ab omni materia liberam ipsamq; absolutam rerum essentiam.

274. Cū verò Mens intelligere siue pati dicitur, fit id communi quadam significatione passionis.

275. Alia enim patiuntur κατὰ τὴν φύσιν, id est, vt intereant: alia κατὰ σωτηρίαν secundum perfectionem atq; salutem.

276. In hac vltima passione, communis materia non requiritur, sed necesse est tantū, vt alterum sit potestate & imperfectum, alterum actu & perfectum.

277. Actalis perpassio in Mente cernitur atq; intellectu.

278. Nam intellectus est potestate non actu res quæ potest intelligi, antequam intelligat: obiectum autem cum perficit & in actum deducit.

279. Dupliciter Mens diuiditur.

280. Vnā παθητικὴ est, quæ cum inferioribus gradibus coniuncta quasi materia existit, & πρὸ νοητῶν in se recipere potest.

281. Altera ποιητικὴ agens, quæ omni vacat materia, atq; corpore separabilis est: quæq; efficit vt ea quæ facultate tantū intelliguntur, actu intelligantur.

282. Huius officium est vt efficiat formas à sensibus in imaginatione impressas, absque materia in Mentem venire: vt ex facultate νοητοῖς actū νοητῶν euadant.

283. Quem-



283. Quemadmodum lumen etiam efficit, vt colores qui in tenebris sunt actu fiant colores.

284. Sed & potest Mēs agens, à corpore separari & absq; inferioribus Animi gradibus pura atq; simplex existere.

285. In corpore absque reliquis facultatibus non consistit: sed ab his quasi corrumpitur.

286. Vbi verò à corpore recessit, pura rursus, simplex, sanctaq; esse incipit.

287. *παθητικῆς* Animæ natura ea est vt cum corpore intereat, si mens agens separetur à corpore, vnaq; phantasia & sensus communis atque Memoria.

288. *ποιητικῆς* Animæ operationes tres sunt.

289. *Νόσις τῶν ἀδιαίρετων* apprehensio simplicium: *σύνθεσις καὶ διαίρεσις τῶν νοημάτων*, compositio & diuisio intelligibilium: *λογισμὸς* ratiocinatio atque discursus.

290. Simplicium cōprehensio est vis qua species comprehendimus omnes resq; in decem prædicamentis collocatas.

291. In qua cognitione varietas tantum inest, nulla vel falsitas vel veritas.

292. Compositio & diuisio est, cum de his simplicibus Mens aliquid affirmat vel negat.

293. Id quod partim componendo partim diuidendo fit, vnde veritas vel falsitas necessario existit.

294. Ratiocinatio est cum Mens diuersas inter se res cōfert, & quid falsum in illis sit quid verum colligit.

295. Qua Mentis operatione longè pulcherrima omnes artes atque scientiæ constitutæ sunt.

296. Secunda Mentis diuisio est, quod Mens agens est vel *θεωρητικῆ* vel *πρακτικῆ*.

297. *Θεωρητικῆ ἢ ἐπιστημονικῆ* quæ in contemplatione cō-

D

sistit



sistit atque scientia: resq; cognoscit necessarias

298. *πράκτικὴ ἢ διανοητικὴ*, quæ vim suam in deliberationibus rerum agendarum exerit: inq; rebus non necessarijs occupatur.

299. Neutra harum *ἄνευ φαντάσματος* sine viso intelligit: & à compositione & diuisione suum vtraq; nomen habet.

300. Atque in hoc conueniunt.

301. Differunt, quod contemplantis finis est *τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ φεῦδος*: Agentis *τὸ ἀγαθὸν καὶ διωκτὸν* aut *κακὸν καὶ φευκτὸν*.

302. Deinde contemplatiua res sensiles & phantasmata non tanquam res sensiles, sed vt *νοητὰ* intelligibilia considerat, adiuncta eis, tum affirmatione, tum negatione.

303. Agens res sensiles vt sensiles considerat, siue præsentes sint, siue in imaginatione impressæ earum sint (species: adiuncto bono vel malo: expetendo vel fugiendo.

304. Vnde in brutis deliberationem esse nullam videmus, quoniam præsentia componere futuraq; nequeunt: sed sensus tantum communis iudicium sequuntur.

#### TANTVM DE MENTE: RESTAT LOCOMOTIUA ANIMI VIS.

305. Animus secundum veteres duabus præcipuè facultatibus distinguitur: vi diiudicandi & vi loco mouendi.

306. Diiudicantis duæ sunt partes: Sensus & Intelligentia, de quibus dictum: Sequitur locomotiua.

307. Est autem hæc Animi facultas, ab enumeratis hactenus potentijs diuersa.

308. Et quidem à Nutriente differt: quia quæcunque loco mouentur, alicuius gratia mouentur, id quod absque ima-



que imaginatione & appetitu fieri nequit.

309. Hæc autem non Nutrienti insunt, cum Sentienti primò conueniant.

310. Reperiuntur etiam quædam quæ nutriuntur & instrumenta ad mouendum se loco non habent.

311. Instrumentis mouendi quæ carent moueri loco nequeunt: nisi natura frustrà aliquid fecisse dicatur.

312. A Sentiente differt: Sentiens enim omnibus inest animalibus: locomouens minimè.

313. Ab intelligente: Animus intelligens vel est contemplatiuus vel practicus.

314. Ex quibus loco motiuus Animus neutrum est.

315. Ab Anima agente: sæpe in rebus agendis enim Mens aliquid persequi iubet aut fugere, quod tamen per incontinentiam non fugiunt mortales.

316. Causa motus localis est Appetitus & Mens si Phantasia cum Mente coniungatur & Intelligentia quædam statuatur.

317. Animalia enim ratione prædita interdum Mentis rationi iudicioq; mouentur, interdum sola Phantasia atq; imaginatione impelluntur.

318. Cætera verò animalia bruta sola semper Phantasia & imaginatione mouentur.

319. Mens illa, quæ mouere dicitur & à Græcis πρακτικὴ actiua seu deliberans audit, propter Appetitum mouetur.

320. Hic enim & prauè & rectè mouere potest: id quod eum primam esse motus causam ostendit.

321. Mens autem ab vniuersali bono nunquam aberrat.

322. Appetitus igitur principaliter mouet: sed non solus

D 2 mouet,



mouet, id quod in hominibus videmus continentiae munete præditis.

323. Est autem Appetitus duplex.

324. Cum ratione coniunctus, quo homines mouentur & voluntarius dicitur, & à vero bono est.

325. Cum Phantasia & imaginatione copulatus, quo omnia bruta agunt, & quidam homines hominum in censu non ferendi.

326. Causa motus inuestigata quæ necessaria sint ad motum, videndum.

327. Huiusmodi sunt tria, quod mouet, vnū: quod mouetur, alterum, tertium quo mouentur.

328. Illud quod mouet duplex est.

329. Vnum immobile, quod tantum mouet, non mouetur.

330. Vt est bonum quod expetitur, siue illud ἀπλῶς siue φαινόμενον sit.

331. Alterum mobile, vt quod moueat & moueatur.

332. Vt est appetitus qui Spiritus animales mouet & à bono quod appetit, mouetur.

333. Id quod mouetur est ipsum animal, corpore animato præditum.

334. In hisce instrumentis tria adhuc vt considerentur postulat necessitas.

335. Vnum: quæ requirantur ad naturam instrumenti motus animalis, quæq; instrumentum efficiant.

336. Alterum: qua ratione afficiatur instrumentum vt loco moueat.

337. Vltimum, in qua corporis parte situm sit principium huius instrumenti & facultatis loco mouendi.

338. Requiruntur igitur ad instrumenta duo immobilia in-



lia internum in ipso animalis corpore situm : & externum.

339. Internum est flexura cuiusque membri.

340. Semper enim in membris id quiescit, à quo principium est motionis lib. 8, Phys. cap. 5.

341. Vt si brachium mouetur quiescit gibber: si totum membrum, quiescit humerus.

342. Externum est cui motum animal innititur, & absque quo animal moueri nequit: quod videre est si super cumulo arenæ ambulandum.

343. Afficitur autem instrumentum in motu animalis, si primo adsit bonum aliquod siue reuera, siue apprens: deinde si obiectum aliquod siue lætum, siue triste adsit,

344. Principium autem motus in corpore animalis Cor esse putamus.

345. Idque non ratione neruorum qui in cerebro non corde (vt Aristoteles falsò putauit) oriuntur: sed ratione spirituum qui in corde generati, per totum corpus diffunduntur.

346. Spiritus enim ij quos animales vocamus à corde generati & à cerebro alterati in neruos, velut radij solares influunt.

347. Quorum vi atque efficacia Animus vtitur tanquã primo instrumento ad afficiendos neruos.

348. Quibus hoc modo affectis mouentur muscoli: hi articulos mouent, & ita totum corpus aut membrum impellitur atque mouetur.

349. Bonum igitur *περὶ* mouet spiritum animale, qui affectionibus ac appetitui animi, naturali quodam & mirabili foedere obedire solet.

350. Ille neruos afficit ratione caloris aut frigoris, qui deinde ciere atq; mouere cætera possunt.



351. Quæritur hic quo pacto principum in vna corporis parte situm totum mouere corpus possit.

352. Id quod sequenti ex similitudine perspicui facile potest.

353. Vt enim in benè re constituta publica Principem omnibus adesse locis vbi reliqui suo munere funguntur non est necesse: sic non flagiturat vt principium motus in cunctis animalis partibus sit natura duce suo singulis officio vacantibus.

Soli vni Deo atque trino: æterno Patri: æterno eius  
filio atque rationi: æterno amborum Spiritui  
Sancto sit gloria in omne æuum.

